

trinitatem repraesentare, quia cum terminus creationis sit esse creaturae, etiam principium eius erit esse divinum. Quod qui impugnat, profecto sanctos doctores impugnat.

46. Folio LXXVIII, facie I: »Non sequitur, si Deus infinitus sit, filium quoque infinitum esse.« 5  
Ostendit auctor Aristotelem, ex cuius sententia te putas arguentari, hoc tibi, si viveret, negaturum, cum internam et consubstantialem emanationem nemo ex eius saeculi philosophis somniaverit.
47. Folio LXXXIX, facie II: »Deus non efficit, inquit, sed aggregati ratio.« 10  
Hoc quoque bis a te superius repetitum, nunc tertio congeris.
48. Folio XC, facie II: »Deus non fecit caelum, sed facit per caelum.«  
Quae dementia seu potius ignorantia est eandem rem totiens frustra commemorare.
49. Folio XCIV, facie I: »Quod mundus dependet ex Deo, ut pars a toto aggregato.« 15  
Damas hoc decrepitae tuae, qui rem totiens repetitam iterum inculcas.
50. Folio XCIV, facie II: »Deus, quod vult, naturaliter et necessario vult.« 20  
Et hoc insaniae tuae concedimus rursus repetere, ut portentorum tuorum numerum augeas.
51. Folio CIX, facie II: »Affirmatur animos perpetuos esse etiam ex parte ante.« 25  
De hoc quoque tibi responsum est superius et ex opinione Aristotelis contradictum. Falsoque calumniaris hoc ab auctore affirmari, cum ostendere dumtaxat auctor voluit longe te a sententia Aristotelis aberrare, quandoquidem animas illum posuisse existimas et principium habere et perpetuas fore.
52. Folio CXI, facie II: »Clarum animum philosophi repetere, quod in divina sede conspexerat.« 30  
Non auctoris haec, sed Platonis verba sunt, quod tu homo rudis et crassus intelligere nequivisti. Affertur autem longa Platonis oratio, ut manifestius ostendatur, quem ille amorem censet esse laudandum.
53. Folio CXXI, facie II: »Quod animi humani in coetu caelesti vultum divinum intuebantur.« 35  
Haec quoque simili modo ex Platonis oratione sumpta sunt et ab auctore eadem ratione commemorantur.
54. Folio CXLI, facie I: »Quod Plato irreprehensibilis est.« Et folio M 10<sup>v</sup> XXIII, facie secunda: »Platonis os sacrum.« 40  
Haec est tua illa ingens calumnia atque animi perversitas. Sed nobis satis est eam semel detexisse.

Folio CXX, facie II: »De restitutione animorum secundum Platonem post decem milia annorum, et si amori puerorum non indulserint, post triginta milia annorum.«

Platonis opiniones, immo verba ipsa ab auctore referuntur, ut videant omnes calumniam tuam, qua gravissimum philosophum turpissimi sceleris insimulas. Turcum vero impium, infidelem, sceleratissimum, qui inter cetera flagitia hoc maxime vitio contaminatus et in profundum obscoenitatis submersus, obsoletorum choris stipatus incedit, laudas, admiraris, extollis, pius, sanctus, a Deo missus reformatorem humanae vitae et redemptorem tuum secundumque post Constantinum imperatorem vocas. O scelus, o flagitium, o monstrum, prodigium, portentum! Sed de hoc paulo post latius explicabimus.

Folio LXIV, facie II: »Calumniatur, quod dixerim serpentes magis esse colendos quam angelos.«

Calumniam istam vocas? Velim metum parumper experiaris, argumentator acutule. Recte ne hoc ex tua illa argumentatione colligatur. Quoniam, inquis, Plato secundum et tertium deum colendum esse opinatur, profecto scarabaeos quoque pariter colendos esse non negabit, quod, cum omnes creaturae aequae a creatore distent et in infinitum a Deo differant, in finito autem nihil sit maius, si una creatura colenda est, omnes aequae sunt colendae. Sunt ergo colendi scarabaei. Si igitur haec tua ratiocinatio recta est, cur Bessario quoque non ex dictis tuis rectissime ratiocinatur ita inquis: Cum angeli aequae a creatore distent ut serpentes, — ambo enim in infinitum distant — profecto si tu angelos colis, serpentes quoque te colere necesse est? Eadem enim ratio est utriusque argumenti. Non igitur de Bessarione querare, quod tibi immanis beluae cultum obiicit, sed de te potius, ex cuius argumentis id plane sequi necesse est.

Folio LXIV, facie I: »Calumniatur, quod scripserim perfectam ex vestigiis posse haberi cognitionem Dei. Legatur quintum capitulum libri secundi circa medium capituli.«

Non haec auctoris calumnia est. Sed inconstantia tua eum, ut ita scriberet, compulit. Saepe enim tibi contingit, ut iis, quae proposuisti, contraria scribas, quod hoc loco usu venit. Nam cum Aristotelem ostendere proposuisses e vestigio trinitatem divinam intellexisse, mox propositi oblitus subdis: »Haec cum ita se habeant, ad rem rediens dico Aristotelem plane unius Dei trinitatem intellexisse.« Non e vestigio dixisti, sed plane, hoc est aperte et manifeste. Multas huiusmodi contradictiones notare in libris tuis auctor potuisset. Sed rationem habuit propositi sui, quod erat, non ut te oppugnaret, sed ut Platonem defen-

17 cf. Georg. Trap. Comparat. II 2. | 23 cf. Bessarionis In Cal. Plat. III 6, 1 | 36 Georg. Trap. Comparat. II 3.

deret. Praeterea cum ceteri quoque philosophi et imprimis Plato sub-  
obscuram quandam suspicionem trinitatis habuisse videantur, tu vero  
Aristotelem ob cognitionem trinitatis inter sanctos Christianorum con-  
stituendum putes, profecto excellentem aliquem cognitionis modum ei  
tribuas oportet. Alioquin frustra tantum papyri consumpsisses. Tribuis 5  
autem quod nullus adhuc ex sanctis nostris consequi in hac vita potuit.  
Nemo enim trinitatem intellexit, sed fide dumtaxat credidit; Aristoteles  
vero plane intellexit, si opinionem tuam sequi velimus falsam atque  
haeticam.

58. Folio LXXXIII, facie II: »Quod scripsimus naturam esse Deum, 10  
calumniatur.«

Immemores, quo loco hoc dicas, nolumus in evolvendis libris tuis  
tempus absumere, cum praesertim te in hac parte auctor ipse excuset  
et sententiam tuam benigne interpretetur non imitatus malignitatem  
tuam, qui ea, quae ab illo optime scripta sunt, pervertere ac depravare 15  
conaris.

59. Folio CXLIV, facie II: »De nativitate Platonis miraculosa, quod  
ex virgine.«

Satis sit nobis semel tibi respondisse, ne oblivionem tuam imitari  
velle videamur. 20

60. Folio CXCI, facie I: »Demonstret, inquit, adversarius nihil in  
quattuor viris reprehendendum fuisse.«

Hoc plane falsum est. Auctoris enim sententia fuit, quod pro-  
bare te oportebat nihil in illis quattuor ducibus fuisse, quod iure re-  
prehendi posset, et tunc Platonem arguere. 25

61. Folio CLVIII, facie II: »Calumniatur, quod scripseram Graeciam  
periisse, quia legibus Platonis usa fuit. Item calumniatur, quod eccle-  
siam dixi nefario scelere contaminatam. Libri sunt in manibus pontificis.  
Quare non poterit dici detractum aut additum aliquid esse?«

Hancine tu calumniam vocas? O hominem inconstantem, levem, 30  
ridiculum et plane delirum! Quam recte Nicoboli illius apud Plautum  
verba transferre in te posses:

»Quicumque ubi sunt, qui fuerunt quique futuri sunt posthac  
stulti, stolidi, fatui, fungi, bardi, blenni, buccones.

Solus ego omnes longe eo ante stultitia et moribus indoctis.« 35

Equidem abstinere hoc loco a risu non possum, tam egregie rationem  
colligis. Negas dixisse te idcirco Graeciam periisse, quia Platonis legibus  
usa fuit. Quod ut ostendas, addis operis de comparatione philosophorum  
titulos, inter quos secundi libri titulum talem ponis: »Quod Platonis  
scripta, praecepta, instituta Graeciam perdiderint.« O rursus incon- 40  
M 11<sup>v</sup>stantem et levem et ridiculum et plane delirum hominem! O excordem,  
vecordem tecumque discordem! Hoc perinde certe est, ac si diceres:

calumniatur me delirum esse, quia deliro; calumniatur me insanire, quia desipio. Quod vero mox subdis calumniari te auctorem, quod ecclesiam dixeris nefario scelere contaminatam, nescio qua audacia, qua temeritate, qua oris impudentia affirmare hoc ausis. An fortasse latere  
 5 libros tuos existimas, quos primos edidisti, et eos dumtaxat exstare, quos prae formidine diversis in locis postea castrasti? Falleris, mihi crede. Falleris. Etiam exstant primi et producentur in lucem, necnon paulo post a nobis eorum testimonia proferentur. Non fecit hoc Bessario partim pudore, ne tot flagitia commemorans dehonestaret opus suum,  
 10 polluens manum scribentis, polluens legentium oculos, polluens aures audientium, polluens orationem; partim, ut tibi parceret, cuius non modo aestimationem, sed etiam vitam intelligebat in periculo futuram, si tot scelera, tot sordes, tot flagitia de principibus christianis abs te scripta conspicerentur. Ea est enim viri bonitas, ea mansuetudo, ut  
 15 etiamsi ulcisci inimicorum iniurias possit, tamen malit oblivisci. At nos dabimus operam, ut haec omnia intelligantur, et verba tua tam ex epistolis ad Turcum scriptis, quam ex libris de comparatione philosophorum sumpta in calce huius operis ponemus. Nunc reliquas adnotationes prosequamur.

20 Folio CIV, facie II: »Apex impietatis adversarii, quia dicit res 62. non esse futuras, quoniam Deus praevидit, sed ideo Deum praevидere, quia sunt futurae. Calumniatur etiam in capitulo quarto libri secundi, quod inscribitur de providentia et fato. Scripsimus bona omnia futura esse, quia Deus praevидit; mala e converso, quia futura sunt, ideo  
 25 Deum ipsa praevидere. Cuncta enim ipsi praesentia esse.«

Si scriptis tuis adhibenda est fides, profecto idem et de bonis et de malis affirmas. Sed satis est nobis in praesentia pars ista de malis ad haeresim atque impietatem tuam ostendendam. Nam sacri doctores non modo bona, sed etiam mala fatentur non ideo a divina providentia  
 30 cognosci, quia futura sunt, sed ideo evenire, quia Deus futura praevидit. Ubi coniunctio, quia non causalis, sed conditionalis est, perinde ac si diceretur, quod non essent, nisi a Deo cognoscerentur. Quippe Deus una et simplici cognitione bona cognoscit et cognoscendo bona cognoscit eadem simplici cognitione eis opposita mala, et ea, ut beatus Dionysius  
 35 Areopagita capitulo septimo inquit de divinis nominibus, a se ipso intelligit. »Accipit, inquit, Deus cognitionem tenebrarum a se ipso, non aliunde, sed a luce tenebras cognoscens.« Tu vero Deum asseris ex posterioribus et rebus ipsis cognitionem accipere, quod plane impium atque haereticum est.

M 12

40 Folio LXXX, facie I: »Calumniatur, quod dixerim de primo 63. homine, cum ipse affirmet: etiamsi numquam pecasset homo, numquam tamen ipsum potuisse cognoscere mysterium trinitatis, haereticum est.

36 cf. Dionys. Areop. De div. nom. VII § 2 (PG 3, 869 AB).

Nam si peccatoribus hanc gratiam largitus est, cur eam innocenti non fuisset largitus?»

Immo vero quod ab auctore dicitur, catholicae fidei consentaneum et ab omnibus fidelibus tenetur. Quod vero tu asseris, manifestam haeresim sapit. Enimvero secundum doctorum omnium sententiam 5 primus homo rectus atque innocens a Deo creatus, quamvis naturalium rerum perfectam cognitionem habuerit, de trinitate tamen et ceteris articulis fidei, qui humanam prorsus rationem excedunt, nullam omnino scientiam potuisset habere, nisi quatenus ex revelatione divina aliquid per fidem credidisset, nec umquam per res creatas aut naturali sapientia 10 de mysteriis fidei valuisset aliquid suspicari, nisi prius fide ipsa duce ad ea credenda fuisset illuminatus. Quod autem divinam essentiam non viderit, vel hinc apparere liquido potest, quoniam, si vidisset, non fuisset lapsus in peccatum. Tu vero, nescio ex quibus poëtarum fabulis poëta theologus repente exortus, profanas mysteria fidei, religionem 15 polluis, Christi sanctuarium contaminas, dehinc iacturam christianae reipublicae deploras, et quia Plato laudatur, vir quamvis gentilis, moribus tamen ac vitae honestate praeclarus et, quantum sine lumine fidei fieri potuit, religioni nostrae propinquus, ingemiscis, non scilicet quia Plato probetur, ut dissimulare conaris, sed quia impiissimus 20 Mahumet in Romana ecclesia non praedicetur.

64. Quae res ut manifesta aliquando omnibus fiat, ponam hoc loco ex epistolis, quas nuper ad Turcum scripsisti, loca quaedam magis insignia, ipsarum epistolarum ordinem sequens, quamquam eas satis abunde vir non modo civilis et pontificii iuris, sed omnium et bonarum 25 disciplinarum doctissimus Rodericus, pontifex Palentinus, molis Adriani et sacrae pontificalis arcis praefectus, magno atque insigni volumine confutavit. Deinde, quod pollicitus fui, ad librum de comparatione philosophorum descendam et, verumne sit, quod ecclesiam Romanam, immo omnem fere christianam rempublicam nefandi sceleris insimula- 30 veris, apertissime demonstrabo.

65. Primae igitur epistolae, quam ad Turcum scripsisti, tale initium est: »Ad excellentissimum, inclytum optimumque imperatorem Romanorum sedem Constantini virtute sua et victoria divinitus sibi concessa obtinentem Georgii Trapezuntii epistola, quod natura omnibus, qui 35 umquam fuerunt, imperatoribus praestantior est.«

O facinus inauditum omnibus ante saeculis! O facinus atrox, indignum, nefarium, perniciosum! O facinus audax et a fide ac religione nostra remotissimum! Tune impurum, barbarum ac truculentum ho-  
M 12<sup>v</sup> minem excellentissimum vocas? Tu immanem, crudelem, nefarium, 40

33 Georg. Trap. Epist. I ad Mahumetum.

26 Rodericus ep. Palentinus († 1470), cf. H. Hurter, *Nomenclator literarius theol. cath.* <sup>3</sup>II (Oeniponte 1906) 942 sq.

paratum ad omne nefas, inclytum nominas? Tu impudicum, rapacem, adulterum, periurum, cupidum, fraudulentum, facinorosum, scelestum, Deo hominibusque invisum, quem non modo nefandi contra naturam coitus, sed omnes foedissimae voluptates praecipitem trahunt, optimum appellas? Tu inimicum Christi, christiani sanguinis persecutorem, perditorem nostrae religionis, reipublicae nostrae depopulatorem, praedonem, hostem, Romanorum imperatorem constituis? Tu corruptorem bonorum morum, furem, latronem, gladiatorem, parricidam, veneficum, infamem, omni denique scelerum genere contaminatum, virtute sua  
 10 adeptum fuisse imperium praedicas? Tu debacchantem per orbem terrarum saevissimum tyrannum, furentem saevitia, anhelantem scelus, vastantem provincias, urbes diripientem, nostrorum sanguine cruentum, nihil nobis praeter ferrum flammamque ministrantem, a quo in virorum conspectu vexari acerbissime coniuges audimus, violari ac prostitui  
 15 virgines, pueros atque adolescentes nefandissima libidine foedari, teneras atque innocentes animas, quae maxime aetas esse parentibus dulcior solet, ante ipsorum oculos parietibus allidi, templa dirui, sacra profanari, omnia denique ad exitum atque perniciem trahi, victoriam divina ope consecutum esse affirmas? Tu sentinam iniquitatis, arcem turpitudinis,  
 20 officinam vitiorum, receptaculum impietatis, sacrarium sceleris, qui improbos quosque ac facinorosos homines amplectitur, fovet, extollit, bonos vero ac virtutis studiosos persequitur, excruciat, damnat, occidit, natura omnibus, qui umquam fuerunt, imperatoribus praestantiorum esse testaris? Ideone ergo eiicis atque exterminas Platonem, ideo leges eius  
 25 damnas atque persequeris, ut Mahumetanam impietatem in sanctam atque immaculatam Dei ecclesiam introducas? Quin potius morere, ut meritus es, quamquam non tam mori dignus esses, quam vivus vidensque dehiscente terra in conspectu omnium absorberi.

»Hac igitur ratione commotus quoque ipse, latinam eloquentiam  
 30 gratia Dei prae ceteris habens, statui tandem principem nostrorum saeculorum eligere, cuius praeclaras virtutes et animi atque corporis dotes conscribendo et mihi ac meis ad praesens conferrem et illi perpetuas laudes aeternumque nomen ad omnes, qui latine sciunt, afferrem.«

O belua et putidae carnis inutile frustum! Tune latinae linguae  
 35 peritiam te habere gloriaris? Tune eloquentiae nomen adeptum te putas? O nostrae aetatis praeclarum Nestorem, cuius ex ore felle amarior fluit oratio. Non vides, asine? Non sentis? Non intelligis scripta tua apud omnes contemptui, derisui ac ludibrio esse? Cuius  
 40 oratio, praesertim ubi eloquentiam tuam extollis, fracta est, humilis, demissa, sordida, infamis, et plane puerilis. Ubinam legisti apud doctos et eloquentes viros »hac ratione commotus« pro permotus sive impulsus? Ubi »eloquentiam gratia Dei prae ceteris habens« pro eloquentia Deo propitio ceteris superior? Ubi didicisti orationem ita augere »animi

atque corporis dotes« pro corporis et animi dotes? Ubi conferrem »pro utilis essem« nullo casu adiecto? Ubi »aeternum illi nomen ad omnes, qui latine sciunt, afferrem« pro aeternum illi nomen apud omnes, qui latina lingua utuntur, sive qui latinam linguam non ignorant, compararem?

67. Sed nolo in re manifestissima diutius versari. Ad alia venio, 5  
 Recte sane elegisti tibi principem saeculorum nostrorum, cuius virtutes et corporis atque animi dotes laudares. At quis est princeps iste? Nempe Turcorum tyrannus, homo ferus, barbarus, atrox, facinorosus, audax, parricida, inflammatus odio, excaecatus superbia, cruorem Christianorum semper anhelans, nobis, fidei, religioni, templis, aris, focus, sepul- 10  
 cris maiorum nostrorum, naturae denique et humanitati infestus. Quae vero sunt virtutes eius? Quae dotes? Quae res gestae? Profecto ebrietates, popinae, crapulae, lusus, ructus, vomitus, ganeae, adulteria, stupra, incestus, nefariae marium libidines, iracundia, intemperantia, nequitia, luxuria, impudentia, temeritas, praedae, rapinae, furta, latro- 15  
 cinia, caedes, inflammationes urbium, trucidationes civium, vastationes provinciarum, excidia rerum publicarum, et quicquam dici aut agitari dirum ac tetrum potest. Hunc igitur tibi elegisti, quem laudes, quem admireris, quem in caelum tollas, cuius gesta suavi loquentia tua conscribas. Platonem vero, cuius optimi mores et vita innocentissima 20  
 fuit, non modo urbe atque Italia pellis, sed ex omni orbe terrarum eiicis atque exterminas.

68. Mox vero id ipsum confirmans haec subiungis: »Nec mihi potuit umquam aliquis principum Europae res magnas et historia aeternitateque dignas offerre, nisi tu solus princeps clementissime, rex regum, imperator 25  
 imperatorum, a natura ipsa iussu Dei hominibus missus.«

O te miseram atque infelicem Europam, quae nullum producere iam septuaginta annis principem potuisti, qui materiam historiae tam praeclaro scriptori praeberet! Frustra Arretinus, Blondus, Valla, Philelphus aliique aetatis nostrae clarissimi scriptores in scribendis suorum 30  
 temporum rebus gestis tempus consumpserunt. Solus Turcus laudandus erat, sola illius gesta scribenda. Merito Trapezuntius hunc clemen-  
 M 13<sup>v</sup> tissimum vocat. Cur? Quia fidem Christi persequitur, quia religionem nostram pessumdare, delere, extirpare amatur. Regem etiam regum appellat, quia eum Christo facit aequalem. Immo, si quis animum eius 35  
 videat superiorem!

69. Item post haec: »Quamvis in genere tuo futurum aliquem multarum gentium principem insularumque dominum et divisum orbem terrarum in unum imperium adducturum scripturae auctoritate prospexi. Quam rem hic latius aperire non arbitror oportere. Nam quae 40  
 occultiora sunt atque abdita, non nisi in tempore suo aperienda sunt.«

Transfert sceleratissimus vir et Turco, ut sic dicam, turcior sacram litterarum sensum in laudem impissimi barbari et, quae de Domino

nostro Iesu Christo scripta sunt, in crucis inimicum convertit. Quo nihil dici sceleratius potest. Sed de hoc latius, cum ad secundam epistolam ventum erit.

Et paulo post: »Verum si quis altius excogitare velit, is profecto 70.  
5 videbit nullum umquam excellentissimorum imperatorum, regum, principum ita a natura institutum divinitusque ad orbis imperium destinatum fuisse, sicut maiestas tua est.«

En quomodo Turcum omnibus etiam christianis imperatoribus profert, nullumque hoc solo excepto a Deo caelitus missum dicit; non 10 Constantinum mitissimum principem, qui tanta pietate, tot meritis sacrosanctam ecclesiam est persecutus; non Iustinianum, qui tot eam sacratissimis legibus firmavit, auxit, roboravit et tam insigne templum Byzantii construxit; non Theodosium, cuius fidem, religionem, integritatem etiam sanctissimi viri litteris prodiderunt; non Carolum illum, 15 cui Magni cognomen fuit, qui totiens oppressae subvenit ecclesiae et paene innumerabilibus templis, quae per omnem Italiam partim vetustate collapsa, partim bellis atque incendiis consumpta fuerant, instaurans, quattuor et viginti monasteria de novo magnificentissime construxit; non praeterea alios, quorum et res gestae amplissime et bene- 20 ficia in ecclesiam Dei maxima fuere.

Sed ad reliqua properemus. »Non dico haec temere, sed ratione 71.  
certa, non imaginatione falsa commotus, sed veritatis amore impulsus.«  
Post haec iterum, quod superius dixit, inculcat: »Quas ob res manifestum est natura te omnes, qui fuerunt, reges, principes, imperatores excedere.«  
25 Deinde addit: »Maiestas tua ad hunc diem magna fecit et maiora perficiet, modo vita supersit. Non enim dubito, quin felicitas suprema divino munere tibi concessa crescet in dies meritis tuis.«

Haec sunt, o carnifex, quae de christiana republica cogitas. Haec sunt, quae in perniciem nostrae religionis moliris. Non satis est Turcorum 30 tyrannos totam iam Minorem Asiam, Lyciam, Paphlagoniam, Phrygiam, M 14 Ciliciam, Cappodociam, Galatiam, Pontum, Bithyniam et in Europa Thraciam, Macedoniam, Achaiam, Epirum, utramque Moesiam a Christianis abstulisse, non cepisse reginam illam omnium urbium Constantinopolim, non magnam Illyrii partem subiugasse, non tot milia Christianorum 35 partim trucidasse, partim in foedissimam servitutem abduxisse, nisi hanc beluam ad reliqua subigenda et incites et hortaris, affuturumque ei divinum praesidium polliceare. Certe nihil aliud optas, nihil avidius exspectas, quam ut venientibus barbaris parum id, quod superest, christiani imperii exhauriatur, vastetur, uratur, et miseri Christiani 40 cervices latronibus praebeant sive, ut saepe fieri vidimus, non modo in propriis laribus, sed etiam in templis et ante aras impiissime trucidentur. Proh Deum atque hominem Iesum! Nullum tamen ferum atque atrox facinus reperiri aut proferri potest, quod maiori supplicio sit



dignum. Iuvat me veluti in sublimi quadam specula constitutum, unde audiri ab omnibus queam, quanta possum voce clamare: concurrite, concurrite omnes et perniciosissimam hanc pestem e patriae visceribus propulsate, vel potius hoc dedecus hominum, turpitudinem saeculi, nostrae reipublicae sterquilinum dilaniate dentibus, lapidibusque obruite! 5

72. Sed iam quibus laudibus extollere Turcum conetur, attendite: »Sublimitas tua vitio temporum multo minus quam ceteri imperatores de foris instituta a se ipsa, auxilio Dei et naturali concitata virtute, ingenio, animi praestantia cuncta gessit.« Item: »Excellentia tua Italos, Pannonos, quos Ungaros vulgo dicimus, Servos, Illyrios, Bosnanos, 10 Ponticos, gentes ferocissimas et bellorum usu, prout modo se res habet, peritissimas, neque modo hos, modo illos sicut Cyrus, sed omnes simul hostes habuit perpetuos, et tamen urbem Constantinopolim, urbem maximam, quae Asiam Europae iungit, celeritate mirabili fere adhuc adolescens rapuit. Servos magna vi animi superavit. Pontum 15 consecuta est. Urbe Trapezuntana expugnata Boscinae evertit, Illyricos vexavit.« Item: »Illud vero mirabile atque inauditum, ac ideo non praetereundum, sed sempiternae memoriae mandandum est, quod celsitudo tua non aliorum doctrina, sed suo ingenio instituta est, homines exercuit.« 20

Haec omnia eo pertinent, ut, quam libenter Trapezuntius Turcum laudet, ab omnibus intelligatur. Nunc ad reliqua pergamus.

73. »Quas ob res natura te principem, regem, imperatorem, quod nunquam aliis a Deo donatum est, his temporibus natum videmus, ut tandem erepti ex confusione colluvioneque regentium homines ad unam 25  
M 14<sup>v</sup> per te monarchiam contrahantur.«

En, o christiani reges et principes, quanto nunc vir scelestissimus apertius loquitur et Turci imperium divina atque immortalis laude extollit, nostros vero principatus confusiones et colluviones vocat, et, ut nationes omnes atque imperia ad unam Turci tyrannidem, quam 30 monarchiam vocat, redigantur, exoptat.

74. Post haec eloquentiam suam rursus extollit: »Statui igitur, quicquid eloquentia mihi tribuit, in qua si mihi multum attribuo, non videbor imprudens, sed verax, quicquid inquam copiae in dicendo largita est, id totum Dei primo, deinde tuo corroboratus auxilio ad perpetuas 35 laudes tuas celebrandas, gloriam quoque, quousque exstat latina lingua, stabiliendam scribendo, dicendo, praedicando conferre.«

O Turco sceleratior, qui te laudes et gloriam eius scribere, dicere, praedicare velle testaris, hoc est, quantum abs te fieri potest, ceteros ad eum imitandum hortari. Haec enim praecipua causa est, cur principum atque imperatorum res gestae scribantur, et quemadmodum facies ad speculum, sic mores ad illorum exemplar componi possint. Sed quid est, quod eloquentiae tuae tantum tribuis? Fertur quondam

Iuppiter summo studio quaesivisse, quodnam animantium genus pulchriores filios produceret. Quocirca omne ferarum genus ac squamigeros etiam pisces hominibus permixtos ad eum liberis confluisse. Inter haec comparuisse etiam simiam, parvum inter ulnas natum gerentem et  
5 quasi omnium pulcherrimum Iovi ostentantem. Quae res cum deum ad risum forte movisset, simiam in hoc carmen prorupisse:

»Iuppiter hoc norit, maneat victoria si quem,  
iudicio praeest omnibus iste meo.«

Id mihi contingere in praesentia tibi videtur, cuius oratio, cum bar-  
10 bara sit, puerilis, inepta et ne mediocriter quidem eruditio viro conveniens. Tamen eloquentiam tuam extollis et quasi simia filium tuum Iovi ostentans ab eo atque omni turba irrideris, homo plane rudis et barbarus.

Post haec finem epistolae his verbis imponis: »Finem nunc faciam, 75.  
15 si illud addidero me pro viribus ingenii et eloquentiae — nihil enim aliud mihi inest gloriae — maiestati tuae semper integro animo servituum.«

Plura etiam erant, quae notari a nobis iure optimo potuissent; sed his in praesentia contenti nunc ad alteram epistolam transeamus.  
20 »Meam autem videndi tui et alloquendi cupiditatem illud duxit, 76.  
quod spero. Immo certior sum futurum te totius terrarum orbis dominum atque imperatorem.«

Iam non modo sperat Trapezuntius, non modo optat, sed compertum etiam habet et certo certior est Turcum totius terrarum orbis  
25 imperium adepturum. Inanes ergo sunt cogitationes tuae. Frustra abs te suscepti sunt tot labores, Paule secunde, pontifex maxime, cui M 15  
statim post suscepta pontificatus gubernacula nihil antiquius fuit, nihil quod magis cordi atque animo insideret, quam ut labantem principum nostrorum negligentia Christianorum rempublicam sustineres, demer-  
30 sam erigeres, oppressam sublevares et impissimum Turcorum tyrannum ex Europa atque omnibus Christianorum finibus expelleres. Iam non parum videberis fecisse, si tueri pontificatum tuum poteris. Sed ne hoc quidem poteris, si Trapezuntio credimus. Omnia enim occupaturus est Turcus et totius orbis dominus atque imperator futurus. Verum  
35 comprime, quaeso, aliquando tetrum hoc et detestabile monstrum. Noli pati, ut suo contaminatissimo spiritu omnia inficiat atque commaculet. Nimum crevit audacia et temeritas hominis. Ter intra annos quindecim carcerem est expertus. Primo iracundia, secundo libido, tertio perduellionis crimen eum in vincula compulerunt. Auxit semper  
40 furorem, et impunitas eum ad quaevis flagitia praecipitem fecit. Noli

per Deum immortalem, summe pontifex, hanc rem aspernari. Noli contemnere, noli negligere. Satis hactenus clementiae ostendisti. Quicquid posthac patieris, perniciosi erit exempli, laedet maiestatem tuam, illius augebit improbitatem.

77. Sed iam ad cetera pergamus:

5

»Et ad summum pontificem et ad reverendissimos dominos cardinales multosque alios, Deus est mihi testis, de iustitia tua, de prudentia, de peritia philosophiae Aristotelicae, de doctrina in omnibus disciplinis multa, inquam, praeclaraque retuli.« Et paulo post: »Haec omnia non dicendo solum ad praesentes, verum etiam in scribendo ad absentes 10 et posteros dictitans, omnibus, qui latine intelligunt, patefacere conor.«

Adulatur in his Turco pro more suo. Sed en mira suavitas et elegantia eius, qui se eloquentiae principatum tenere profitetur.

78. »Nam cum ex animo cuncta haec vera esse credam, tacere non 15 possum nec debeo. Quod autem haec vera sint, primum Deus eventu rerum, quae a condita Constantinopoli consecutae sunt, universo generi hominum aperte ostendit, deinde hominum malitia clamat, tertio religionum professiones confirmant.«

Audite, audite, obsecro, quibus rationibus homo impurus im- 20 pendere Christianis fatum et portendi Turco imperium sibi persuaserit. Primo experientia, quod post Byzantii excidium omnia barbaro feliciter successerint, deinde nequitia, improbitate, scelere Christianorum, postremo eorum culpa, qui in religione principatum obtinent, hoc est sacerdotum atque pontificum, in quibus deficere iam ac labefactari fidem 25 coepisse confirmat. Sed hoc multo apertius declarat, tum inferius in hac ipsa epistola, tum in eo libro, quem de comparatione philosophorum inscripsit, ubi nec privatis nec principibus nec regibus nec sacerdotibus nec episcopis nec summis pontificibus parcat, quemadmodum, cum ad eum locum ventum erit, apertissime demonstrabimus, quamquam aliis 30 M 15<sup>v</sup> quoque in locis eousque amentiae proruperit vel potius furoris, ut nominatim etiam invehi in pontifices maximos fuerit ausus. Principem illum innocentissimum Nicolaum quintum, pontificem maximum, cuius et sapientia et doctrina et vitae sanctitas tanta fuit, ut suavissimam eius memoriam nulla oblitteratura sit aetas, a quo tot beneficiis suble- 35 vatus, honestatus, auctus fuerat, in commentariis, quos in magnam compositionem Ptolemaei furto a Theone subtractos edidit, tum etiam in margine problematum Aristotelis, quae e graeca lingua in latinam pervertit, adeo turpiter atque ignominiose non modo ignorantiae, sed aliorum quoque vitiorum accusare, polluere ac maculare conatus est, 40 ut tantum flagitium non modo viri, sed ne mulieres quidem passurae esse videantur, cum nomen illius summa omnes religione colant et venerentur.

Sed iam ad alia properemus:

79.

»Coepit statim providentia divina domum tuam, cui, ut scriptura dicit, unionem et fidei et ecclesiae et imperii Deus reservavit, paulatim atque paulatim exaltare.«

5 O scelus, o pestis, o flagitium! Hucusque unum totius orbis futurum imperatorem ostendit. Nunc unam etiam fidem futuram pollicetur, hoc est Mahumetanam. Id enim sentire impium hominem manifestum est, cum confirmaturum se id sacrarum litterarum testimonio dicat, quas epistolae committere periculosum esse paulo inferius asserit, quod  
10 certe non esset, si de christiana fide loqueretur. Verba eius haec sunt: »Nam de scripturis, quae generi hoc portendunt tuo, non est tutum litteris committere. Quare id in aliud tempus transferatur, si gratia Dei nos iterum iussu tuo atque auxilio in Thraciam atque ad celsitudinis tuae pedes reducat.« Quae res hinc etiam colligi manifestius potest,  
15 quod verba de salvatore nostro Christo Iesu a sacratissimo vate decantata transfert in impium Turcum, eumque aurum Arabiae vocat, quasi ille humani generis salvator sit futurus. O bone Iesu, quae digna poena, quod satis conveniens supplicium huic immani beluae reperiri aut cogitari poterit? Non potest iam tergiversari homo impius, infidelis,  
20 Turcus. Tenetur sua confessione, convincitur, premitur, urgetur. Expellite hunc christiani principes ex urbe, eiicite ex Italia, e finibus Christianorum exterminate. Quamdiu nobiscum erit, ut Helena Troianis, vel potius ut Sphinx Thebanis, nobis et reipublicae christianae causa pestis erit, causa calamitatis, causa exitii. Sustinere tale portentum  
25 amplius terra nostra non potest. Sed verba eius afferamus: »Hoc enim profecto illud est, quod rex et propheta David in LXXI cecinit psalmo: et vivet et dabitur ei de auro Arabiae. Aurum enim te ipsum, te ipsum inquam, appellavit.« Paulo post in laudem tyranni subiungit: »Et praecipue propter iustitiam, quae ad te ita tota refluxit, ut ceteros  
30 principes penitus reliquisse videatur.«

M 16

Desciscimus iam abs te, Romane pontifex, et abs te mitissime impera-  
tor Federice Auguste. A vobis quoque, christiani reges et principes, desciscimus: Facessite, facessite omnes. Nulla apud vos fides amplius,  
nulla pietas, nulla religio, nullum aequitatis aut iustitiae vestigium,  
35 nullae praeterea leges, nulla iudicum subsellia, nullum tribunal. Haec omnia a vobis discesserunt et ad Turcum defluxere, ad quem mox etiam imperia et regna vestra deventura sunt. Ad illum iam de rebus constituendis, iudicandis, agendis referendum est. Illius sacrosanctum tribunal petendum, ab illo iustitia imploranda, vel saltem a vobis  
40 omnibus ad illum provocandum est. Ille scilicet accubans in conviviis, teterrimam popinam exhalans, vino languidus, cibo confectus, inter medios paelicum choros, marium nefandissimis stupris debilitatus, prothiara illa infulisque imperii sertis redimitus, diversis oblitus unguentis,

80.

cum illo superis irato supercilio leges ac iura dabit et Christianorum spoliis onustus de aliorum iniuriis decernet. Utinam tibi contingat, ut omnium primus tam immanis beluae iudicium adire et, quam tantopere laudas, experiri iustitiam cogaris, homo miserrime, digne qui naufragio expulsus uspiam, saxis fixus asperis, evisceratus latere 5 pendeas, ut Ennius ait: »saxa spargens tabo, sanie, sanguine atro.«

81. Quodsi tua maxime causa defluxisse ad Turcum iustitiam et ceteros principes reliquisse commemoras, quia meritum de sceleribus tuis supplicium non sumpserunt, equidem facile tibi indulgeo et in hac re sola verum te dixisse confiteor. Quod ideo tibi accidit, quia 10 cum iustitia in hac parte pugnante dementia mitissimus pontifex vinci potius a clementia voluit. In quo falleris, si eum semper talem futurum existimas. Diversis praeterea in locis Turci virtutem et iustitiam commemoras, eumque verum Romanorum imperatorem non ab hominibus, sed a Deo creatum iactas. Ita enim scribis: »Tum ipsae rerum 15 variae immutationes et corporum Europae inaudita confusio his nostris temporibus cuncta in melius reformanda significant, tum etiam tua virtus et felicitas et res magnificentissime gestae id ipsum portendunt.« Et paulo post: »Sic tu confusum iam orbem et titubantem non magis felicitate quam iustitia, prudentia, magnitudine animi, omnique vir- 20 tutis munere atque auctoritate revoces, reducas, impellas.« Item: »Ad haec nemo dubitat, quin iam iure Romanorum imperator sis. Is enim imperator est, qui sedem imperii iure obtinet.« Item: »Sed tu non ab hominibus, sed a Deo per ensem tuum dictam possides sedem. Iure tu ergo Romanorum imperator es.« Item: »Sequitur ergo rerum 25 ipsarum multiplici ac longissima serie, cum totius tu orbis terrarum iure imperator sis, neminem mentis compotem dubitare posse in tuos rediturum imperium et usque ad ultima saecula duraturum.« Item: M 16<sup>v</sup> »Multis signis et auctoritate scripturae confirmati, in qua plane tangitur, summum in genere tuo futurum imperium.« 30

82. Post haec, ut Turco magis gratificaretur et, ut est omnium avarissimus, pecuniam ab eo extorqueret, mentitur se Ptolemaeum, quem iam diu non latinum, sed barbarum et multis in locis mendacem fecerat, nondum edidisse, ideoque tam egregium opus ad eum missurum et nomini eius se dedicaturum pollicetur una cum commentariis, quibus 35 sese id opus exposuisse gloriatur. In quibus nihil est alicuius dumtaxat momenti, quod non sit a Theone, Ptolemaei expositore, furto sublatum. Sed verba ineptissimi ponamus: »Ptolemaeus iam pridem in latinam a nobis traductus linguam est, sed non adhuc editus. Et quoniam ad hunc usque diem non recte intellectum almagestum comperimus, 40 commentariis ipsum nostris exposuimus.« Item: »Quae res longo labore, multis vigiliis, addam etiam favore regio indiget magis quam privato,

6 Ennii Thyest. XIV (rec. I. Vahlen 1903, p. 188 n. 363).